NOUVELLE SÉRIE No. 25 | MANDATUM

PRO DIŒCESANÆ SYNODI SECUNDÆ CONSTITUTIONUM PROMULGATIONE

JOANNES LANGEVIN,

Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia primus Episcopus Sancti Germani de Rimouski,
Dilectissimis Cooperatoribus nostris, et omnibus de clero filiis,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU

Nuper habitæ secundæ nostræ Synodi jam impressæ sunt Constitutiones, quas nunc studio et meditationi vestræ, dilectissimi Fratres, gaudentes offerimus. Undecim sunt ; prima vero viginti quatuor capita complectitur.

Ista Statuta, tum ad propriam vestram vitam sacerdotalem confirmandam, tum ad sacra munia rite obeunda, tum ad quosdam in parœciis abusus excessusve reprimendos, tum denique ad promovendam plebis nobis commissæ sanctificationem diriguntur. Ante et per Synodum sedulo examinata et discussa sunt, emendata et completa. Iterum ergo atque iterum ea percurrite, in memoriam alto figite, in praxim reducite.

Ad pedes Beatissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ, Sti. Josephi Stæque. Annæ, ejus Sponsi et Matris, ac Sancti Germani, hujus diœcesis patroni, humiliter has Constitutiones deponimus, confidentes quod Illorum potenti ope uberes inde salutis fructus oriundi sint.

Volumus insuper et mandamus ut unusquisque de clero nostræ diœcesis exemplare harum Constitutionum secundæ Synodi diœcesanæ apud se habeat et in omnibus servet.

Datum apud Stum. Germanum de Rimouski, ex ædibus nostris episcopalibus, sub signo sigilloque nostris, ac Secretarii nostri subscriptione, trigesima die novembris, anno Domini millesimo octingentesimo septuagesimo nono.

L. S. † JOANNES, Epus. Sti. Gni. de Rimouski

De mandato Illmi. ac Revmi. DD. Eppi.

C. A. Carbonneau. Can.,
Secretarius.

Errata dans la brochure.

Dans le titre : Joannes *au lieu de* Joanne.
Page 52 : fingite *au lieu de* figite.